

domi est et me has scripsisse ignorat; caeterum bene habet, et Caspar restituitur. Aegrotavit enim peregrina quadam ualitudine, sed quae nullum habeat contagium. Satis mirari nequeo quod neque ab auo materno, neque ab auunculo uxoris quicquam litterarum acceperim, saltem de puero aulae pueris adscripto. Huius enim maxime intererat, ut ipse arctius auito iussu contineretur. Est in aula ut alii quamplures, nulli singulariter inseruiens uagatur, cursitat, nihil facit et tamen nihil non facit eorum, quae hi facere et possunt et solent, qui ea aetate nullis habenis, nullo metu cohibentur. Haec tu prudenter auunculo tuo, Martino Stör, (ad quem etiam ea de re scribo) uerborum tuorum ornamentis describere potes, meque illi et strenuo eius patri, auo obseruantissimo diligenter commendare uelis. Reliquum est, ut priusquam tabellarium ad nos mittas, Spirerio nostro,¹ qui in Altkirch agit, litteras hasce meas reddi cures, ut et ego responsum qua de re scribo accipiam. Vale ac per otium dum in Altkirch itur et in Einsisheym rescribe longissimas. E portu Nicolaitano pridie Eid. Ianuarias Anno 1532.

Aus dem Cod. pal. Vindob. 8987, fol. 34 f.

?

XII.

7. Januar 1533.

Claudius Cantiuncula an Johannes Brotephus.

S. P. Quanquam subueor ego, uir clarissime, ne de hoc meo incepto ualde quam sis initio miraturus, aut etiam fortasse id quidquid est audaciae uix boni consulturus, qui non satis habita ratione ingentis istius publicorum molis negotiorum, quibus tantummodo obrueris in palmae instar contra pondus resurgens,² sustineam tibi meis neniis obstrepere. Aequius enim multo fuerat, si quid tibi subsidiui temporis uelut a rebus seriis feriant superesset, id ipsum istius animi tui redintegrandae intentioni, quam nostris nugis legendis impartiri.³ Attamen si quo argumento huc impulsus sum expenderis, spero mihi hunc meum ausum apud te nec fraudi futurum et te cogitationis istius proptionem aequi bonique facturum. Nullum enim aliud fuit argumentum, quam ex eo, quod a graecis sumptum latine dicitur:

¹ Ueber Johann Spier cf. Rivier l. c. 35.

² cf. Gell. n. a. III. 6. Die Hs. hat resurgeres.

³ Die Hs. impartiri.